


- A** autem opera præcipuū erat Veneris simulachrū quæ Cupidinem manu regebat, ipse vero Delphinū cauda apprehensum surrigebat, ille Polypū iuxta Cupidinis pedes harentem solo mordicū apprehenderat. Hic tu, qui veterū operib. adeo delectarū, quarebas, quid id sibi vellet argumentū. Neq. aberant ex loci curatorib. qui visitantiū opiniones exceperant innumeras, plurimū vero qui rem temerè factam arbitrabantur, animaliaq. illa ad ornatum tantum apposita putarent: vel si quod in ea re consilium fuisset, certe non vllum aliud, nisi vt statuæ pene nudæ aliquo firmarentur fulcumento, facile lapsuræ nisi admiculis huiusmodi veluti adglutinatus præsepitaq. sustentarentur, neque alterius cuiuspiā rei significationem præ se ferre: nisi forte quis diceret, Venerem mari ortā, maternūq. pecoribus Cupidinem adblandiri. Tuque mi Domine, ad me conuersus, quid super hoc mihi videretur postulas. Ego autem argumentum id omne ad Aegyptiorum traxi disciplinam: tuq. Vir amplissime libenter auscultare me visus es, meāque dictionē amici reliqui non improbarunt. Proinde rogasti me, vt quæ super Delphino & Polypo huiusmodi disseruissem, ea scriptis explicata tibi dare, velle te per otium re diligentius examinare. Feci quod petieras, id quæ libenter admodum, quod magnoperè gaudebam datam mihi occasionem,
- B** qua possem tibi tam studioso, tam pio, tam plane probō Principi in ea re morem gerere, in qua per dies aliquot industriam ego meā, quātulacunque esse poterat, exercuissem. Misi igitur ad te pisces eos duos quos poposceras, atque ea simul omnia, quæ illis capiendis in verriculo deprensa sunt. Nā multa Delphinus dum mare cauda verrit in sagena immisit: & Polypus curru, & quibus exasperantur cotyledonibus fetus, plurima secum attraxit, nullo discrimine congesta. Ea vitiliane essent, an in vitilia, nolui meum esse iudicium sed ipsum rete pro vt eductum erat, cum tota præda protinus affrendum ad te curavi. Tuum erit quæ vsui fore videbuntur, verriculo in siccum attracto, seligere: quæ minus ad rem facient, eicere. Sed antea quàm ad complexum figurarum, quas explicaturi sumus, agorediamur, necessarium esse visum alter vtrius simplicia significata percurrere, vt habita singulorum cognitione, facilius coagmentationem ipsam conficere possimus.

DE DELPHINO

INCOLVMITAS.

- C**  NCIPIENTES igitur à Delphino, id in primis referre libet quod totiens inhumani generis beneficiū celsit, quippe plerisq. mortaliū extremo vitæ periculo laborantib. ab animali hoc spōtè auxiliū allatū. Neq. enim temerè frenatus Delphinus pictus, incolumitatis indicium fuit, quod dubio procul ob multos ab vndis eius opera seruatos factū opinamur. In Neptuni siquidem tēplo, quod apud Isthmon erat, visebatur Palæmon puer super Delphine & auro & ebore cōfectus, quē Herodes Atheniensis dicauerat. Nam & Palæmoni nautæ pro incolu mi nauigatione vota faciūt. Idē enim & Melicerta & Portuni est, cui, vt apud Virgiliū habetur, seruati votū soluunt in littore nautæ, vt Glauco, & Panopæ.

T A R A S.

Quod verò signum in argento numo Delphino vehitur, TARAS is est, vt etiam indicat inscriptio, de quo Aristoteles meminit Tarentinorum politia, apud quos numisma numum dicit appellari, in qua Taras Herculis Delphino vectus. quanquam apud Asiaticos quoq. puerum Delphino insidentem fuisse in numis, tradit Strabo. Sed Phalantum Lacedæmonem memorat Pausanias, qui Tarentum coloniam duxit, priusquàm Italiam attingeret naufragium in Crisæo mari fecisse, cui Delphinus opem tulerit, sublatumq. dorso in litus incolumem expofuerit. Stefichorus historiam huic similem Crithei testimo-